

Phæn. IV.

ne circiter unius pisī; orbiculus antē detentus & post affusam aquam sibi relictus aquæ summa petebat, æquè ac in casu priore quo fundus vasculi perforatus planè non fuerat; neque cessabat ascendere etiam tum, cùm ampliatum porrò esset foramen notabiliter. Verùm cùm eò amplitudinis tandem processisset hæc apertura, ut orbiculi diametrum quam proximè adæquaret, tunc sanè hæsit hic ac tam pertinaciter, ut suspensum ex opposito contrapondium aliquod sustentaret. Et hanc experimenti quasi necessariam circumstantiam posthæc apud Stevinum (cui totam hanc Observationem acceptam fert Morus ipse ad Experimentum Stevinianum toutes provocans) Volume IV. Liure cinqu. Prop. II. Exemp. 3. p. m. 499. ita claris verbis expressam reperimus, ut mirum visum nobis sit, à viris adeò perspicacibus eam vel negletam esse vel parum sollicitè adnotatam; antequam sc. ea legissimus attentiùs, quæ de annulo æneo in hydriæ fundo habet Morus p. 371.

I V. Enim verò si unquam aliàs, hac vice profectò, cum aliqua temporis jaðura tædioque haut exquo, didicimus, in experimentis capiendis omnem possibilem adhibendam esse curam ac solitudinem, nisi per intempestivam quandam præcipitantiam fallere nos ipsos aliosque velimus. Etenim cùm eundem casum Phæn. III. in eodem vasculo tentaremus iteratâ vice, adhibito orbiculo ligneo ejusdem diametri cum illo priore, numero tamen alio & spisso minus minusque ponderoso; successit nihilominus hac vice experimentum præter omnem spem nostram, foramine situlæ haðenus immutato pisique magnitudinem nec dum excedente. Quæ quidem, ut clariora evadant omnia, describenda nobis hic est artificiosior illa situlæ forma, quam in Henrici Mori gratiam parari nobis fecimus, ab ipso fusè descriptam pagg. 363. 370. 371. 412. &c. & *Hydriæ Helmontianæ* nomine cohonestatam, quòd à Mercurio Helmontio primùm esset fabrificata. Fecimus igitur ex lamina cuprea fieri vasculum cylindricum